

IN PROCESSV LVDOVICI DE EXEA, SVPER EMPARAMENTO.

Responsum in causa propria.

QVAMVIS, *Natura mortalium, hoc quoque nomine praua, & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno*, vt dicebat *Curtius in Alex.* Rationem insuper addens, *Quia turbida facta sunt consilia eorum qui sibi suadent, obstat alijs metus, alijs cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaueris amor.* Cæterum præeuntibus tot clarissimis eloquentiæ luminibus, Iustinianeis verbis vtar in *l. restituendæ, C. de Aduoc. diuers. jud.* Consiliosissimisque viris, & causarum patronis, qui nostris desiderijs iure fulcitis, suis etiam subscriptionibus robur, & incrementum, quam maximũ prestiterũt; facile mihi persuasi, à recto Iurisprudentiæ tramite aberrare non posse, sed fugatis proprij commodi affectibus, veritatis, & Iustitiæ viam adornaturum; quod vt præstem placuit, excelsissimi Senatores, factum ex quo ius oriri interpretum vulgus dictitat in medium proferre.

Antonius ab Exea Parens meus, in vltima cera Annæ Fernandez, qua cum genialis thori reuerendam contraxit societatem heres hæresque fuit adscriptus; eo tamen adiuncto onere vt inter communes filios Hieronymum, Antonium, & Annam

totam suam substantiam, quæ quindecim mille librarum Iaccensium numero constabat, prout paternæ prouidentiæ conueniebat diuideret, ea insuper facultate elargita, vt alij plus, minus alteri, tertio nihil prout vellet designaret. Obijt Anna testatrix superstitibus marito, & liberis, & cum prædictam filiam Annam Pater nuptui vellet collocare cũ Augustino Ludouico Malo Iurisconsulto, nuptialibus tabulis promisit nouem mille libras in censibus, & pecunia numerata; declarans vti facultate commissa seque ab onere fideicommissi in ea quantitate exonerans, iuxta fidem testatrici debitam, præscripsit autem filiæ in hac donatione legem, & conditionem hanc, quam, & filia non tantum admisit, sed plene, & plane professa fuit sub hijs verbis, *Los quales dichos ciento, y ochenta mil sueldos laqueses en dinero, y censales arriba dichos, y expressados, el dicho Antonio de Exea los da, y manda a la dicha Anna Paula de Exea su hija, y aquella los trae con tal pacto, vinculo, y condicion, y no en otra manera, que si la dicha Anna Paula de Exea acaeciere morir sin hijos, ni descendientes suyos legitimos deste, o otro qualquiere matrimonio, que por muerte del dicho su futuro marido huuiere contraydo, o muriendo con tales hijos acaeciere morir aquellos menores de edad de cada catorze años; que en qualquiere de los dichos casos la dicha Anna Paula pueda disponer, y ordenar en quien, y como quisiere de los 60. mil sueldos laqueses, parte, y porcion de los dichos ciento, y ochenta mil sueldos laqueses, y los ciento y veinte mil sueldos laqueses restantes ayan de venir, y recaher, vengan, y recaygan en el arriba nõbrado Geronimo Pasqual de Exea su hermano.* Hac dotali cautione adhibita Augustinus Malo matrimonij federe duxit Annam, quę infeliciter breui temporis curriculo, orbata marito, filio grauida remansit, qui, & ipse ante pubertatem migrauit. Repetijt Anna nuptias, plus iusto anno emenso, & in secundis suæ dotis cautionibus adduxit prædicta, & alia bona sua absque eo quod Pater adesset, adfuit tamen frater suus Hieronymus, cui iterum prospexit nouum grauamen in eius honorem suæ doti adscribẽs sub eodem verborum compendio, ac penè orationis formula in hunc modum. *Et aun con tal pacto, vinculo, y condicion, y no de otra manera, que si la dicha Anna Paula de Exea acaeciere morir*

clausula dela 1.a capitulatio de d.a Paula de Exea

clausula dela 2.a capitulatio de d.a Paula de Exea

rir sin hijos, ni descendientes hijos legitimos deste, o otro qualquiere matrimonio, que por muerte del dicho su futuro marido huuiere contraydo, ò muriẽdo con tales hijos acaeciere aquellos morir menores de edad de cada catorze años, que en qualquiere de los dichos casos la suma, y cantidad de ciento y veinte mil sueldos jaqueses, parte, y porcion de los sobredichos censales, y bienes aya de venir, y recaer, venga, y recaiga en el dicho, y arriba nombrado Micer Geronimo Pasqual de Exea su hermano, el qual dicho vinculo es el mismo expressado, y contenido en la dicha, y arriba calendada primera capitulacion matrimonial, y no diuerso, el qual a mayor cautela quiere aqui auer por puesto, y expressado como si de palabra, à palabra lo fuesse, y dicha primera capitulacion matrimonial por otra vez calendada, y expressada deuidamente, y segun Fuero. Post hæc secundum sortita maritum, iterumque viduata tertias quæsijt nuptias cum Doctore Hieronymo Carrillo & Zapata, sub cuius societate decessit mense decimo transcursi anni 1640. testamentum condidit, in quo nullus, aut ex fratribus, aut remotioribus propinquis suam meruit memoriam. *Maligne circa sanguinem suum inferens iuditium maritalibus forsam delinimentis instigationibus ve corrupta* (vt de nouercalibus dicebat *Gaius in l.4. ff. de inoffi. testam.*) reliquit autem substantiam suam marito, & alijs pijs operibus, & sic decessit prædicta soror testatrix, absque liberis prædefuncto communi fratre Hieronymo in Romana Curia, qui me heredem exasse sibi adsciuit.

Hijs prænarratis contendunt DD. Balthasar Cisneros, Iosephus Frances Canonici Metropolitanæ huius Ecclesiæ, D. Maça, & D. Carrillo executores dicti testamenti ad se dicto nomine pertinere censualia de quibus agitur in hac causa ad exequendam voluntatem defunctæ iure dominij.

Maritus desiderat bis centum libras annuas sibi in futurum præstandas viduitatis iure, in vim pactorum nuptialium stipulatas, ex hijsque censibus persoluendas.

Ego vero, cęteris hac in parte exclusis, impugno iuditium, & dictas sex mille libras vindico in vim substitutionis Hieronymi fratris in casu quo dicta Anna absque liberis decederet prout decessit, nec conditionem euanuisse quamuis sorori Hieronymus

mus non super vixisisset, sed ad me tanquam suum heredem conditionalis stipulationis spem fore transmissam contendo, quod vt probem, fundamenta iaciam.

Ac primum prænotandum dico, & duco potuisse Antonium patrem fideicommissi onere grauatum filiæ huic apponere conditionem, & legem quam voluisset, non solum in fauorem alterius ex contemplatis per testatricem, quod inexpedito est per doctrinam *Bartholi*, quam communem prædicant in *l. vnum ex familia*, §. *sed si fundum de leg.* 2. sed etiam in fauorem extraneorum ratione commodi, quod percipere potuisset si fideicommissum non restitueret in vita cum posset bona restitutioni obnoxia apud se retinere, illa enim restitutionis præuentio donatio est, cuius ratione par poterat iniungere grauamen, vt optime aduertit *Bartholus* ipse *in l. post mortem*, *C. de fideicommis. num.* 3. *Padilla* 6. *Molina lib.* 2. *de prim. g cap.* 4. *nu.* 32. Deinde, quia disponens prius inter contemplatos superaddere potuit substitutionem extraneorum fauore sic voluntatem fidei commitentis adimplens, ex singulari, & subtili *Goueani doctrina lib.* 2. *variar. c.* 19. quam semel, & iterum comprobatam in vtroque Senatu contestatur eruditisimus Doctor *Christophorus de Suelues in consf.* 27. *nu.* 22. cuius laudibus obesse non debet, quod viuit; Quę omnia præsius confirmantur perspecta ad plenum dictæ Annæ Fernandez volũtate sub qua scriptum reliquit, quod etsi Antonium virum prædicti fideicommissi onere grauauerit, largiebatur autem vt posset totam suam substantiam alienare pudorique, & fidei eius magis, quam iuris vinculo prædictum fideicommisium relinquebat (prout olim *Romani in* §. *sciendum*, *de fideicom. hæredit.*) Sicque infirmum erat hoc fideicõmissum, & inefficax, & ex vltroque nea restituendi facultate necessariam exercuit electionem Antonius, maximaq; liberalitate filiã prosecutus fuit, vt meritò hijs attentis lege aliqua libertas dispositionis, si sine liberis decessisset moderari, & comprimi extraneorum etiam fauore potuisset, arg. tex. in *l. ab eo*, *C. de fideicom.* & hac via non tam coactum fideicõmissum erat, quam permissum; sicque ab electore potius quam à testatrice commodum capiebatur, vt meritò hac consideratione onus, & grauamen etiam aliorum fauore adscribi posset, ex ele-

eleganti Doctorum distinctione quam sequuntur *Gabriel cons. 132.nu.75.lib.1.Peregrin.decis.106.nu.2.Pereyra de pot. elig.3.p. c.16.nu.6.Sesse decis.373.nu.7.387.nu.6. in fine.* Sed quamuis in stricta iuris ratione hoc non insubtiliter adstrui, & fulciri posset, ast dum solidissimis alijs rationibus res ipsa manifestatur, vereor, ne dum in horum disceptatione versamur lis crescat, vt solet aliquando inter Medicorum manus infelix ægritudo, vt sic ex Michaele de Montaigne obseruat bene eruditus *P. Andreas Canonerius ad Hypocratis Aphorismos in prologomena fol. 41.*

Sed è vertice ad vallem descendamus, & præscribamus certissimum, ac extra omnem dubitationis aleam esse, consensum eius cuius de re agitur sic officere consentienti vt nullum ad impugnãdum actum regressum obtinere possit; de tacito consensu adsunt iura *in l.si sine, C.ad Velleian.c.2.de accus.in 6. l.super seruis, C.qui militare non possunt lib.12.l.fideiussor, §.pater, de pignor. l.Gaius, de pign.act.* cum sexcentis apud *Pacianum lib.1.de prob. c.29.per tot.Statil.Pacificũ de Saluiano inspect.3.c.5.à n.45.Thesaur.lib.3. q.foren.31.Æneum Robert.lib.4.c.14.rer.jud. D.Christophorum de Suelues cons.52.nu.6.* qui plures annumerat, & de expresso, *l.cum pater, §.libertis de leg.2.l.sicuti, §.venditionis, ff. quib.mod.pign. l.non videtur.ff.quæ in frau.cred.* cum innumeris apud *Pereyram de pot.elig lib.3.c.16.à n.23.Cancer lib.3.var.c.2.de inuen.n.203. Molin.de Hisp.lib.4.c.1.nu.16.Fusar.q.318.à nu. 315.* & in specie nostra pactorum dotalium est singularis, ac pulcher *tex. in l. cum maritus 29.§.mulier. ff.de pactis dotalibus*, aureis hisce verbis rem comprehendens, *Mulier de dote quam dedit pacta est, vt si in matrimonio decessisset: fratri eius redderetur, isque in eum casum stipulatus est, mulier decedens quasdam res dotales marito legauit, & alijs, quosdam ex seruis dotalibus manumisit. Quæsitum est an maritus earum rerum nomine quas legauit mulier, & seruorũ quos manumisit fratri teneretur. Respondi nil proponi cur non teneretur*; Sed sistendum aliquantulum, & obseruandum Sceuolam, sic proposito casui respondisse, quasi in ea consultatione nullus dubitationis scrupulus adesset, id enim important verba illa, *nil proponi cur non teneretur.* Vnde appositissime *Baldus* per hunc text. docuit in *l.pro hæreditarijs col.3. & fin. C.de hæred. act.* Mulierẽ

non posse de dote testari quando est ad alium applicata vigore cōtractus,& eius interest non reuocari,cuius dictum amplexantur *Aretinus, Decius, Ruinus, & Boerius*,cum Senatu Pedemontano apud *Cacheran.decis.20.nu.6.Fontanella de pact. to.2.clau.5. glo.10.p.1.nu.16.fol.313.Surdus cons.116.nu.5.* nec omittendus *Boerius* ad huius rei exornationem *cons.50. vsque ad medium.*

Comprobatur insuper superior traditio duobus præiuditijs in Regio Senatu Cathaloniæ decretis referente, & approbante *Iacobo Cancerio lib.3.var.c.2.de inuentario nu.*200.quibus nil ad propositum aptius,& ad victoriam felicius inueniri posse existimamus,prosequitur eorum memor *Fontan.sup.num.*21.

Ex qua doctrina commodissime infertur,quod cum in nostro Regno alteri per alterum stipuletur,quia stamus chartæ, *Portol. ver.instrumentum num.*84. donatio absenti facta irreuocabiliter quæritur, *vt ipse nu.*85. *Craueta*,qui loquitur in causa Aragoniēsi *cons.*985. *Sess. decis.*189.quod ad stipulāte graphario iure etiā admittūt DD.vt late *Borrell.to.3.decis.tit.de dona.à n.176.Barbos. clau.105.Surd.deci.*111.Sicq; cū in nostro casu Anna dū nubebat Ludouico Malo, idem vinculum apposuerit suæ doti,quod pater præponebat, & apertissimis strictissimisq; verbis professa fuerit, ibi: *Y aquella los trahe con tal pacto, vinculo, y condicion, y no en otra manera, &c.* Consequitur ius ita ad fratrem Hieronymum spei conditionalis peruenisse,ac si ipse præsens adstipulatus esset, cum inter præsentem, & absentem nulla valeat apud nos constitui differentiæ ratio, nec Notarij stipulatione intercedente vlla etiam hæsitatio remaneret.

Roborantur autem viriliter superiora ex eodem pacto, in secundis suę dotis cautionibus apposito,vbi cum prædicta Anna cēsualia à patre donata litiq; obnoxia,simul cum alijs bonis in matrimonium contulisset, illorum se dominam pleno ore professa, eidem vinculo supposuit, & ad fratrem qui præsens aderat si sine liberis ipsa decederet peruenire iussit, ex quo enixior,ac firmior suæ voluntatis explicatio deprehenditur, iuxta notata per DD. in *l.Ballista, ff.ad Trebel:* cum alijs apud *D.Suelues cons.86. num.6.*

Iuuat nō minus tanti temporis silentiū,ad præscriptionem etiā super-

comunis usus loquendi

ala 2ª. capitulatio

superabundans quo potuit Anna si aliquo modo se lęsam, aut deceptam inspiceret conquęri de grauamine, & iuris aliquo remedio sibi subuenire, quod cum omisserit, eam voluntatis suæ declarationem temporis trãscursu, velut euidentiori, & silentiario testimonio confirmatam voluit, ex hijsque in strictiori casu notantur per *DD. in l. fin. C. si maior factus, Simoncell. de decret. lib. 3. tit. 9. insp. 1. nu. 4. cum seq. Cephalus cons. 314. col. fin. & cons. 315 nu. 20. & seq. Cæsar Barcius decis. 2. nu. 19. 20. Cancerius*, qui sic in specie argumentatur *sup. d. c. 2. de inuent. num.* 202.

Ex hijs placitis apertissime conuincitur fixam firmamque spẽ conditionalis stipulationis transmissam fuisse ad vtilitatem Hieronymi fratris eiusque hæredum; in *contractibus enim plerumque tàm hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cauemus*; vt ait Celsus *in l. si pactum 9. ff. de probat.* quo loci apositissime adnotat eruditissimus *Cuja.* voculam *plerumque*, regulam transmissionem pactorum edocentẽ indigitare, quod manifestius fiet ex animaduersione Rubricæ de probationibus, sub qua iacet tex. ille, nisi valde fallor, vt significet Consultus pactum in materia probationis, etsi hæredum nulla adsit memoria reale esse, & contrariũ asserenti probationis onus iniungi, ad idem cumulãda erunt plura alia auctorum iuris testimonia, *l. sicut* 8. §. *si debitori 16. ff. quib. mod. pig. sol. l. si necessarias*, §. *de vendendo 4. ff. de pig. act. l. tale pactum* 40. §. *fin. ff. de pactis.* Et commendãt *Illig. lib. 2. com. c. 21. lit. L. Anton. Gomez to. 2. var. c. 11. à nu. 12. Surdus cons. 133. n. 45. D. Suelues cons. 86. nu.* 4. in qua lite contrarium dedimus responsum, & in specie pactorum nuptialium, *Molin. lib. 3. de ritu nup. q. 25. num. 5. Menoch. cons. 225. Surdus decis. 144. num. 24. cons. 403. num. 2. lib. 3.*

Hæc autem transmissio adeo fauorabilis, & efficax à Iureconsultis prodita est, vt ad eam excludendam nisi materia subiecta, aut euidentissime coniecturę contrarium persuadeant, necessum sit contrahentibus pactum taxare, & in eorum tantum personam concipere per *l. si tibi decem*, §. 1. & 5. *ff. de pactis, l. non solum* 8. §. *tale legatum*, 3. *ff. de lib. leg. l.* 3. §. *cum Titio, ff. de adim. leg. Bart. Albericus, & antiqui in d.* §. *tale legatum, Ant. Gomez d. nu.* 12. *Illig. lit. L. Honded. cons. 36. nu.* 23. late *Pereyra de emp. & vend.*

c. 20.

*c.*20.*nu.*23.& adhuc innumeri ad exclusionem extraneorum, non suorum heredum id sublimitant, quos plena manu congessimus in causa *Susanæ Canelon, super elect. iurisfirmæ.*

Huius vero rei eam nostri frequentius rationem tradiderunt contractus ab vltimis elogijs discernentes, quia in contractibus duorum factum inspicitur, sibi suisque in dubio prospicientium, *d.l. tale pactum* 40.§.*fin.* ibi: *Cum inter contrahentes id actum sit, vt hæredibus consulatur, ff. de pactis*, at in vltimis voluntatibus cum heredum, aut legatariorum attendatur affectus, personam non transgreditur dispositio, arg. tex. in *l. neque adiecit, ff. pro socio*, (quam illustrat *Pinellus in l.*1.3.*p. num.*60. *vers. probatur secundo, C. de bonis mat.*) adducunt, & confirmant rationē hanc *glo. in* §. *ex conditionali inst. de ver. obl. vbi Pich. nu.*10. *Gomez sup. n.*12. *Honded. cons.*36.*p.*3.*nu.*21. *Sesse decis.*355.*à nu.* 70. *& decis.* 243. *Molinus de ritu nup. lib.*3.*q.*25.*nu.*6. *Raudens. cons.* 52. *nu.* 47. *lib.* 1. mitto nunc alias rationes apud *Vasquium de succes. crea. lib.*1.§.10.*nu.*183. *Menoch. cons.*325.*nu.*51. *ad finem*, *Petr. Fab. in l. quæ legata, ff. de reg. iur. Hieronymum Zanchum* 4.*p. ad* §. *cum ita, nu.*15. *Alciat. lib.*3. *paragon. c.* 13.

Nec prædicta transmissio, quæ iure medio fit in contractibus extinguitur quando contractus conditionalis est, & pendente cōditione decedit stipulator, nam cum certissimam, & inuariabilē spem adquirat; potuit secure illam ad hæredes suos transmitere, ex eleganti Iustiniani Imperatoris decisione in §. *ex conditionali institutionum de ver. oblig.* cuius limatissima verba sunt, *Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri, eamq; ipsam spem in hæredem transmitimus, si priusquam conditio extet mors nobis contigerit.* Huius verò sanctionis auctoritate sępissime in causarum decisionibus vti demonstrant varia loca apud *D. Reg. Sesse decis.*50.*nu.*47.243.*per tot.*254.*n.*98. & agnouit egregia Senatus *D. Iustitiæ Aragonum decisio*, anno 1554. in motiuis causę de Sobradiel, ibi: *Non tamen propterea extinctum fuit fideicommissum seu ius ad illud competens, propter spem certissimam, & infallibilem, quam in vita illius habuit ad prædictum fideicommissum consequendum, & ideò tale ius ex eadem spe resultans potuit ipse Raimundus ad suum hæredem transmitere*, videndi etiam *Hodier*

na

na ad Surd.decis. 144. *Addentes ad Molin.lib.*1.*c.*1.*num.*20.Et in materia nostra reuersionis bonorum ad hęredes donatarij quã uis is pendente cõditione migrauerit,adeundi *Sesse sup. d. decis.* 243.*Cancer lib.*3.*var.c.*21.*de transmis.à nu.*95.*Fontanela de pactis clau.*4.*glo.*24.*nu.*23.qui cæteros conducunt, & recte explicant tex. in *l.quod de pariter,ff.de rebus dubijs,*iuxta sensum *glosæ Rogerij, Bartholi, Donelli*, & communis in *d. l.* quam sequuntur *Cancerius d.c.*21.*num.*98.& *Fontan.num.*36.

Nec prædictis obsistit *Peregrini* sententia *de fideicom. ar.*51. *n.*20.vbi substituto post mortem primi donatarij,ante implemẽtum conditionis deficiente, nullam ad hęredes transmitere spem ad firmauit, in cuius sententiam *Bartholum, Alciatum,* & *Torniellum* adducit. Allegar de Peregrino q hace contra d. Luys

Nam in primis aduertere libet *Bartholum* in eo cõsilio,quod etiam erranter signat, est enim *cons.*212.nil ad propositum decidere, imò pro nostra stare sententia apparet in *l. huiusmodi, ff. quando dies legati cedat,* & *in d.l.quod de pariter, ff.de reb.dub.*vt rectè expendit *Cancerius num.*98.Deinde in fine dicti numeri vigesimi *Peregrinus* contra suam adduxit sententiam *Ripam*, cui nec satisfacit, aut quidquam respondet, sic ad aliam quęstionem deueniens.Tandem, quia in expresso eum reprobant *Cancerius, Fontanella, Addentes ad Molinam,* & *Hodierna ad Surdum dictis in locis.* respondi a Peregrino

Præterea si rectè aduertatur eius sententia ad nostrum casum trahenda non est, sed ad dispositionem, & donationem causa mortis,ex cuius natura est, vt præmoriente donatario maneat relictum pœnes ipsum donatorem,vt in principio,§.1.*de donationibus,*quem ad propositum ipse conduxit *Peregrinus in d.nu.*20.

Et comprobatur insuper explicatio hæc ad dictum *Peregrini* locum ex allegatione *Tornielli*, qui de specie vltimæ voluntatis loqutus fuit *in cons.*81.præcipue *nu.*20.*inter consilia Portij,*& cum Doctoris auctoritas intelligenda sit secundum Doctorem quem allegat ex *Barth.in l.non solum.* §. *liberationis, num.* 7. *de lib.leg.* sequitur manifestè ad casum nostrum, vbi fuit in contractu apposita substitutio aptari non posse Peregrini doctrinam. Et sic ad vltimæ voluntatis dispositionem remitunt intellectum

hunc *Cancerius*, & *Hodierna*, ita cōciliantes Peregrinum, alioqui tanquam contra expressa iura loquentem reprehendentes.

Qua propter meritò decissum referūt pro hac parte *Sesse*, *Cancerius*, & *Fontanella* diuersis in casibus, vt ex eorum apparebit inspectione.

Et quamuis pars aduersa velit (vt vitetur hæc firmissima, & regularis transmissio contractus) recurrere ad testamentum Annę Fernandez primę mei parentis vxoris, inducens donationem celebratam ad fauorem Annę filiæ, in pactis nuptialibus habere originem ex fideicommisso electiuo, sicque in hoc non contractus, sed vltimæ voluntatis naturam, & spetiem sortituram, titulūque adquisitionis à testamento, non à contractu inspiciendum, ex adductis à *Fontanella to. 1. clau. 4. glo. 5. ex num. 57. & to. 2. clau. 7. glo. 3. p. 3. à num. 36.*

Cæterum hæcque non leuem patiuntur controuersiā ex prænotatis à *Cancer*, qui ex aduerso oppugnat *lib. 3. var. c. 7. ex nu. 310.* & cum quo Cathaloniæ Senatus trāsiuit, ad propositum speciemq; nostram non accomodantur; nā dictis in locis agitur de ea quę ex duplici titulo rem habet; hic vero vnus tantum adest titulus adquisitionis, qua in re quæstio cadere non potest. Et deinde adnotamus, & fatemur libenter parentem concessisse dictas nouem mille libras filiæ in obsequium supremæ voluntatis testatricis, sed quod asignatio illa in pactis dotalibus celebrata ob id induat vltimæ voluntatis naturam, masculè, & obfirmatè negamus, potuit enim pater prout liberet disponere in contractu, aut vltima voluntate ex facultate concessa, vt apparet ibi, *como le parecera*, quæ verba latissime patent *D. Suelues consil. 65. num. 10.* Sicque potuit in contractu disponere *Socinus consil. 170. nu. 7. 8. lib. 2. Paulus de Castro in l. vnum ex familia col. 1. Padilla num. 9. Fusarius de fideicom. q. 508.* Et conducunt in ratione, tradita per *Molinam lib. 2. c. 4. num. 25.* Vnde si in contractibus adest transmissio in hæredes, quid vetat potuisse Hieronymum ad me tanquam hæredem prædictam spem transmitere? imò, & in meos quoque hæredes, cum omnes eo relicto, & nomine comprehenderentur, ex adductis à *Gomezio lib. 2. variar. c. 11. num. 14.* Spes enim illa, transmitentis fratris patrimonium fuit *Zanchus ad §. cum*

ita

*ita p.4.num.*432.Et ſic venit in obligatione creditorũ tranſmittentis, vt poſt *Torniellum* ipſe *Zanchus* adnotauit *num.* 114. & 115.Igitur diſpoſitio à contractu recipit fundamentum.

Secundo hanc tranſmiſsionẽ induximus ex conſenſu,& ſtipulatione celebrata ab ipſa ſorore fauore,& cõtẽplatione eius fratris Hieronymi in repetitis illis verbis,*y aquella los trae con tal pacto, vinculo,y condicion,&c.* Ex quibus ipſam ſtipulatam , & ius ex contractu Hieronymo quæſitum fuiſſe conuincitur;ſtipulationis enim natura eſt ſtipulantem neceſsitate adſtringere *prin. inſt. de ver.oblig.*recurrendum ergo non eſt ad teſtamentum.

Tertio ipſa ſoror ſecundis dotis ſuæ cautionibus idem ſibi adſcripſit grauamen,vbi nec pater donauit,nec adfuit,ſicque duplici in contractu fratrem ad dictas ſex mille libras admiſit ; quid eſt ergo, quod rem ſubtiliorem,& minus aptam diſceptemur?

Et quamuis,vt opinor,præſentiens pars aduerſa huius ſcripturæ vim conetur adſtruere ſubſtitutionem ſecundorum pactorũ nuptialium referri ad primam , eſſeque de hijs idem iuditium, cumque Antonius prius donaſſet miniſterium ſuum in obſequiũ teſtatricis acomodans, videbatur tota huius rei ſtructura à teſtamenti origine deriuari, ac proinde deficiente ſubſtituto Hieronymo pendente conditione vanam,& caducam ſpem ad ſuos non tranſmiſiſſe, *l.vnica,*§.*ſin autem,C.de caducis.*

Sed arguta argumentatio hæc multis ſolutionibus expeditur, negamus enim relationem ſecundæ ſcripturæ,ſic ad primam acomodandam,vt quemadmodum ibi Pater fideicommiſſo ſe voluit in ea quantitate exonerare, ſic etiam dicendum ſit eam dotis qualitatem in ſecũdis tabulis nuptialibus repetitam: in hijs enim vt prędiximus filia,vt ſua adduxit bona omnia ad matrimonium, iam Pater nec donabat,nec aderat,ſicque relatio non potuit tendere ad qualitatem bonorum,nec ad executionem fideicommiſſi iam in ea quantitate exoluti , ſed ad id tantum vt filia exprimeret ſecunda pactione,non in alios caſus ſe velle prægrauari quam in hijs,quibus in prioribus tabulis conſenſit,videlicet ſi ſine liberis ipſa aut hij impuberes deceſsiſſent, vt plane indicant illa verba, *el qual dicho vinculo es el miſmo , &c.* Sicque relatio iuxta mentem contrahentium,vt iuri conuenit,interpretanda eſt,pul-

chre

chre *Iason*, *& Decius in l. si idem, cum eodem §. fin. de iurisd. om. iud. Socinus junior, Craueta*, & alij apud *Menoch. cons.* 115. *n.* 14. *lib.* 2. Et in specie pactorum nuptialium *Molin. lib.* 3. *de ritu nup. c.* 24. *num.* 301.

Et præcipuè afirmandum hoc videtur, nam in ea parte prioris scripturæ, vbi Pater filiæ fratrem substituit, nulla adest mentio fideicommissi, aut materni testamenti, sicque relatio non est ad alios casus, aut qualitatem protrahenda, contra mentem partium eiusque naturam.

Præterea fere tota nostræ causæ victoria in consensu, & approbatione Annæ sororis in primo, & secundo donationis contractu potissime constituitur, quod si ita est ad quid disputatio de virtute relationis, aut origine testamẽti? Nonne secunda se refert ad primam donationem à se ipsa celebratam? Quod suo ore dilucide professa est potuit in alterius perniciem reuocare? Nusquã procerte nisi constitutissima iuris documenta, & fundamenta prosternantur, quibus statutum est, *Neminem posse mutare consilium suum in alterius iniuriam, l. nemo potest, ff. de reg. iuris*, bonus tex. in *l. non dubium, C. de testam.* vbi sunt elegantissima verba, *illud etiam adijciendum est, vt qui ex testamento, vel abintestato, hæres extiterit, etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa legibus non sit subnixa, tamen cũ sua sponte agnouerit implendi eam necessitatem habeat*, nec omittenda decisio, *l. generaliter, C. de non numer. pecu.* ibi: *Nimis enim indignum iudicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere*, prosequitur *Pereyra de pot. elig. c.* 16. *lib.* 3. *num.* 15. *& seq.*

Ex quibus omnibus iuridice, & dilucide deprehenditur pactũ dotis restituendæ ab Anna, fauore fratris Hieronymi appositum & repetitum, spem peperisse non euanidam, aut futilem, sed certissimã, & inuariabilẽ, potuisseque eam, quamuis pendente conditione decedentem ad suum hæredem transmitere, *ex d. §. ex conditionali*, communique Doctorum sententia vltimas voluntates in hoc à contractibus distinguentium.

Potuissem insuper varias in medium transmissionis coniecturas, ex his pactionibus elicere, sed tempori, & stylo parcens cum regulæ innitar libens omito.

Præte-

Præterea liceat animaduertere intempestiuam viduitatis petitionem omnino excludendam, cum in præiuditium substitutionis Hieronymi fratris subsistere non valeat, debeatque in cæteris bonis liberis in matrimoniũ adductis constitui, & cum in actis cõstet dotem vsque ad decem mille librarum numerum ascendisse, ad maritique manus peruenisse, retinet apud se bona libera ex quibus possit deducere biscentum libras annuas ratione viduitatis, sicque ad subsidiaria bona, & restitutioni obnoxia transire non debet arg. tex. in *auth. resque, C. communia de leg.* cum expensis à *Molino verbo viduitas*, & ab alio *Molina lib. 4. de primogen. c. 6. num.* 15. 16.

Et liceat tandem amplissimi Senatores, sororis huius iuditiũ grauiter ferre, quæ suos omnes grauiter tulit, iuridica, & doloris plena quærimonia est, fratres fraternis spoliari bonis adnotante *Eringio de iure burgorum. num.* 707. Et sicut natura duce sanguine coniuncti diliguntur, sic ab ipsa abhorret natura extraneos fratribus præponere, extraneum igitur iuditium, benigno, prudentique vestro decreto exterminandũ, quasi non sanæ mentis fuerit soror cum testamentũ ordinaret; Quid quod legibus nõ est ignotum, *Cõtra fœminas immoderatas, & intẽperantes prospicere, quæ plerumque nouis maritis, non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt*, vt notantissime *Constantinus* Imperator admonuit in *l. lexque tutores, §. lex enim, C. de administ. tutor.* Spero igitur fideli, & fęlici spe vos etiam, magni Senatores, prospecturos, & quam semper expertus sum benignitatem, & gratiam vestram in hoc etiam negotio, iustitia media, confirmaturum, ad vos confugio, & suplex vestra numina posco. Sub censura, &c.

Ioannes Christophorus de Suelues.

Ioannes Baptista de Alegre.

Didacus Serra, & Foncillas.

Iuan Antonio de Costas.

Ludouicus ab Exea & Talayero I. D.